

268

266

272

262

277

257

317

217

367

167

Ende

Anfang

253

locum fratres montis Syon in eorum devotione quondam habuerunt, et pertinet ad ecclesiam Syon, inclusus codem muro ad caput chori. Porro Soldanus recepit fratribus locum illum ea de causa. Judaei multis temporibus et hodie instant apud regem Soldanum pro loco illo, ad faciendum sibi oratorium: et e contra Christiani reclamabant. Tandem Soldanus interrogavit: qualis tamen sanctitatis esset locus ille? et cum sibi dictum esset, quod David cum caeteris regibus Jerusalem de ejus semine ibi sepulti essent; dixit: et nos Sarraceni David sanctum tenemus, aequa sicut Christiani et Judaei et Bibliam credimus sicut et ipsi. Locum ergo illum nec illi nec isti habebunt, sed nos eum recipimus, et ita venit in Jerusalem et ostium illius capellae, per quod ab intra de monasterio erat ingressus, obstruxit, et ipsam capellam profanavit, ejiciens altaria Christi et destruens et delens imagines sculptas et pictas eamque cultu spurcissimo Machometi coaptans, ab extra faciens ostium, ut Sarraceni ingredi possent, dum placeret; et quia locus superior supra testudinem capellae erat Christianorum et fratrum et fuit capella magna et pretiosa per regem Franciae fundata in loco, in quo Spiritus sanctus in die Pentecostes super discipulos venit, ut superius dictum est, fecit Soldanus etiam eandem capellam destrui, et testudinem deponi, et ostium obstrui, ne Christiani pedibus supra testudinem muschkeae deambularent; et ita fratres illa duo pretiosa et sancta loca perdiderunt, propter Judaeorum sollicitudinem pro illa inferiori loco, pro quo hodie laborant apud Soldanum, et multa milia talenta auri offerunt se datus pro loco. Hoc autem non faciunt, quod tantum afficiantur sepulchris Sanctorum et sanctitate loci, sed sperant, se posse ad loculos regum pervenire et thesauros reperire. Credunt enim istos thesauros sibi ibidem esse reservatos. Ideo noctibus saepe ibi euntes et scrutantes reperti sunt, et nonnunquam artes magicas et incantationes ibi exercent. Desiderium magnam habui locum illum ab intra videre et non sum fraudatus desiderio meo. Nam custos muschkeae sarracenus quadam die repente aperire volens et claudere cum clave seram corrupit, ita quod repagulum ferreum cum clave movere non potuit, et ita recessit, relinquens muschkeam apertam, quae aperta mansit, quam

